Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 147
Quelle:
Copyright:

tor ſuperius Libri a *Boethio* inſcripti *de Hebdomadibus*, quo loco, niſi is Liber periit, lapſum arbitror. Audi *Boethium* in Tractatulo *de Bono* edit. *Baſil.* 1546. p. 963. f. *Poſtulas, ut ex Hebdomadibus noſtris ejus quaeſtionis obſcuritatem, quae continet modum, quod ſubſtantiæ in eo, quod ſint, bonæ ſint, cum non ſint ſubſtantialia bona, digeram* &c. *Hebdomadas uero ego ipſe mihi commentor, potiusque ad memoriam meam ſpeculata conſeruo, quam cuiquam participo, quorum laſciuia ac petulantia nihil a ioco riſuque patitur eſſe disjunctum.* Diceres, *Hebdomadas* iſtas nunquam ſcrinia Commentatoris egreſſas fuiſſe. Interim, quamvis etiam *Abailardus* crepet *Boethium*, Codicem S. *Victoris* ab *Oudino* T. II. *col.* 1287. citari video, quo *Gilberti Porretani Commentaria* non modo in *Boethium de Trinitate*, et *de duabus in Chriſto Naturis et una Perſona*, ſed etiam in Librum *de Hebdomadibus* contineri dicuntur, quo inducor, ut etiam praeſentes *Maximas theologicas*, donec quis certiora doceat, referendas ad illum arbitrer.

XCIX.

U. 13 Codex membraneus lat. Sec. XIII. exeuntis Folior. 108. f. luculente exaratus, et rubricis diſtinctus *Actus Apoſtolorum* continet textu medio lineis ad recipiendam *Gloſſam* rarioribus, quem utrinque *Gloſſa ordinaria* comitatur, ut videre eſt in Bibliis gloſſatis impreſſis, v. g. *Lugduni* 1545. T. VI. f. Praeter Prologum: *Lucas natione ſyrus cuius laus* &c. jam ipſa, quae Textui in Codice praemittuntur: *Lucas medicus antiocenſis greci ſermonis non ignarus* &c. Gloſſae Ordinariae pars ſunt.

C.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3079 partim XII. partim XIII. Folior. 242. f. min. parte ſui principe verum Calligraphiae ſpecimen, literis initiorum cubitalibus ex aevi guſtu deauratis, picturatisque, columna media anguſta, ut utrinque locus eſſet *Gloſſae ordinariae*, lineis diſtantibus, ut recipi poſſet *Gloſſa interlinearis*, colore Textus rubicundo, ut ab aterrimo Gloſſae diſtingueretur, continet *D. Pauli Epiſtolas* ordine conſueto e vulgata interpretatione. Atque utinam conſtitiſſet ei haec ſua primaeva elegantia! Verum quidam Sec. XIII. Poſſeſſor marginum ſpatio pellectus *Petri Lombardi Commentario in* dictas *Epiſtolas* eos magnam partem implevit charactere quidem non ineleganti, ſed admodum minuto. Cum autem etiamdum ſupereſſent ſpatia, inſulſus aliquis tremula manu Sermones in quasdam *Dominicas*, *de Ramis Palmarum*, *de Defunctis* &c. inſerſit.

Fol. 215. manu, ni fallor, ejus, qui *Lombardi Commentarium* adſcripſerat, ſequitur Expoſitio

Can-